

tàm est perfectus in infans & pueris, quàm in sapientibus & adultis; quoad actum autem secundum, seu exercitium, largior illud magis relucere in adultis quàm pueris; ratio, quia in his non est tam bona dispositio organica, à qua in operando intellectus, dum corpori immerfus est, non parum dependet.

§. 17. Tantæ, igitur molis erat, Thomam condere sectam; expeditior sibi videtur *Sperlingius in Anthropol. c. 1.* & rem omnem sequenti argumento conficit: Substantia & accidens differunt realiter, atquæ anima est substantia, potentiæ verò accidentia. Ergo. Sed, quis non videt hic peti principium? Illud enim, quod in quæstione est, num scilicet potentiæ sint accidentia, pro medio termino assumitur.

CONCLUSIO II.

Intellectus & voluntas inter se realiter non differunt.

§. 18. Est & hæc contra Thomistas, quam à priori distinximus propter *Bonaventuram*, qui, uti ex *Scoto* refert *B. Slevogtius disp. 24.* identitatem quidem inter animam & potentias concessit, negavit tamen inter ipsum intellectum & voluntatem. Sicut contra *Durandus* apud *Comptonium* statuit intellectum & voluntatem esse unam potentiam, distingui tamen ab animâ. Quamvis autem hæc ex priori jam fluat, quia, quæ uni tertio eadem sunt, inter se quoque eadem sunt, unde & hasce duas conclusiones in sequentibus conjungemus; eam tamen, repetito, quod Entia præter necessitatem non sint multiplicanda, ulterius probamus.

§. 19. Et quidem hunc in modum: Si voluntas & intellectus inter se realiter differunt, sequitur, quod voluntas feratur in incognitum; Absurdum autem est consequens. Ergo & antecedens. Minor clara est; voluntas enim fertur in objectum præferendo unum alteri, ergo cognoscere debet bonitatem utriusque, & ut ita loquar, præferibilitatem. Major probatur: Quicquid non concurrat effectivè ad cognitionem ejus rei, ad quam amandam se vult determinare, illud fertur in incognitum; Atquæ, si voluntas ab intellectu realiter differt, voluntas non concurrat &c. Ergo. Dicis, sufficere quod intellectus cognoscat & faciem voluntati præferat, licet ipsa voluntas nihil cognoscat, addis rationem, quia radicantur in eadem animâ, quam fortasse deprompsisti ex *Thomâ p. 1. q. 87. art. 4. ad primum*, ubi disputat, utrum intellectus intelligat actum voluntatis, & non putat absurdum, ut illud, quod

B 2

est in